

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Icones sive imagines virorum literis illustrium**

**Reusner, Nikolaus**

**Argentorati, 1587**

Orlandvs Lassvs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](#)

ORLANDVS LASSVS  
Musicus.



Si mea principibus tot Musica Cæsaribus qui  
Grata placet, cœtus Rex ero nōnne mei?

M. D. XXCV.

ORLANDVS LASSVS BERGAE,

Hannoniæ vrbe, natus anno

M.D. XXX.

Musicus & Symphoniacus sui seculi  
facilè princeps:

Primâ etate admodum puer, ob miram vocis  
suavitatem in canendo, aliquoties  
plagio sublatuſ:

Sub Ferdinando Gonzaga Prorege Siciliæ, an-  
nis fermè sex partim Mediolani, partim in  
Siciliâ, inter symphoniacos  
educatus:

Neapoli dein per triennium, ac deum Romæ  
antplius biennium Musico præfectus ſa-  
cello longè celeberrimo:

Post peregrinationes Anglicanas & Gallicanas  
cum Iulio Cæſare Brancacio ſuceptas,  
Antuerpiæ totidem annis ver-  
fatus:

Tandein Alberti & Guilielmi ducis Boiorum  
Musicæ Magister supremus per inte-  
grum vicennium:

A Maximiliano II. Cæſ. nobilitatus:  
A summis imperij Principibus ac proceribus  
summè honoratus:

Cantionibus Harmonicis tam sacris quam  
profanis omnium linguarum in  
orbe vniuerso celebratiss.

Obiit Monaci anno Sal. M.D. XXCV. Aet. LV.

# IN ORLANDVM LASSVM

Musicum.

P. MELISSI.

*Quantus apud Macedûm reges Milesius ille*

*Timotheus melicæ claruit arte lyræ:*

*Tantus apud Bavarûm magnos illustria corda*

*LASSE duces clares dulcibus harmonijs.*

*Inde celebratas tua Fama volauit in aulas,*

*Regibus exhilarans Cæsaribusque animum.*

*Non tamen hi solum placit à mulcedine gaudent:*

*Transyti ad cives consonus iste canor.*

*Concentu vario mentes auresque fruuntur,*

*Quas rapit ad Musas melle referctus amor.*

*Vis quanta artificis, proceres apud ordinē & imū*

*Auctor vbi in precio est, est in honore melos!*

E I V S D E M.

*LASSE, poëtarum Buchananum tempore nostro*

*Qui scripsit esse principem:*

*Illiis ingenij divinas novit is artes,*

*Nervosque virisque carminis.*

*Ast ego censuræ Iudex nihil ambigo regem*

*Te musicorum dicere:*

*Scilicet harmonico se modulamine viatos,*

*Cuncti fatentur musici.*

For-

*For san. ut heic aliquis crassâ pinguique Minervâ  
Reclamet auritus Midas,  
Testibus ille tribus convincitur, Hesperiæque  
Et Galliæ & Germaniæ.*

E I V S D E M.

*Bruta Orpheus, saxa Amphion, delphinas Arion  
Traxit: at Orlandus post se terramque fretumq;  
Post se traxit item molem totius Olympi.  
Quanto igitur maior, quantoque potentior unus  
Orlandus tribus his, Amphiōne, Arione, et Orpheo!*

IOAN. LAVTERBA CHI.

*Leuat canore mœsta corda Musicus.*

*Sol quod splendidus inter est planetas,  
Stellas Luna quod inter est micantes:  
Lassus splendidus artifex canendi,  
Inter artifices id est canendi.  
Res ut Sol recreat suo calore,  
Res ut Luna fouet suo vigore:  
Mastos sic leuat artifex canore  
Lassus, sic fouet artifex sonore.  
Suaues qui canit artifex sonores,  
Dulces qui sonat artifex canores  
Est quod Sol vagus inter est Planetas,  
Stellas Luna quod inter est micantes.*

b v

IOAN. POLETI.

Armi potens sola haud doctis Germania gaudet  
Orlandi Lassi cantibus atque melis:  
Quin tota Italiæ regio, atque Brabantica tellus  
Illiua venæ flumina larga probat.

Ingenij admiratur opus quoque Gallia: Solis  
(Quid dicam?) famâ tangit utr' anque domū.

NICOLAI REVSNERI.

Musica res sancta est, animi iucunda voluptas:  
Artificem colit hec te quoque LASSE suum.  
Alter ut Amphion, Orpheus vel, & alter Arion,  
Saxa, feras, homines arte ciere tuâ  
Doctus eras: magnis hinc carus regibus, atque  
Principibus summis, Cæsaribusq; manes.  
Sola manet surdis mors immota auribus: illa  
Te perimens mundo gaudia tanta premit.  
Sed tamen haud perimit totu: pars maxima cœlo  
Dulce püs animis accinit usque melos.

LVDO-